



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

82. Robertus cognomento Casletanus, Roberti Betunij Flandriae Comititis filius, praetendit sibi deberi Comitatum Flandriae, an. 1322.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

CAPVT LXXXII.

Robertus cognomento Casletanus, Roberti Betunij Flandriae Comitis filius, pretendit sibi deberi Comitatum Flandriae, anno 1322.

CAROLVS, Deigratia, Francorum & Nauarreg Rex, vniuersis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod cum ROBERTVS de Flandria, miles, filius defuncti Roberti quondam Comitis Flandriae, tamquam proximior & vnicus superstes eius filius, vt dicebat, diceret se esse saisitum, per consuetudinem patriae notoriam, qua dicitur, quod mortuus saisit viuum, de Comitatu & patria Flandriae, &c. ex vna parte; & MATTHAEVS de Lotharingia, miles, nomine & ratione Mathildis vxoris suae, dominae de Florences, filiae dicti Comitis, & ipsa domina pro se;

Dicentes dictam dominam esse proximiozem in successione dicti Comitis; ex eo quia filia dicti Comitis, & quia dictus Robertus, & Ioanna domina de S. Gobano, soror ipsius, renuntiauerunt, & per iuramenta sua omni iuri successione dicti Comitis Niuernensis, filij primogeniti dicti defuncti Comitis Flandriae, &c. Domina vero de S. Gobano, filia dicti defuncti Comitis Flandriae...

1322. Datum anno millesimo trecentesimo vicesimo secundo, die vicesima nona Iunij.

NOTATIONES.

Robertus cognomento Casletanus, Roberti Betunij Flandriae Comitis filius junior, pro sua portione hereditaria possedit Dunkercam, Grauelingam, Borburgum, Watines, Casletum, Bornhem, & Warneston, vbi & moriens an. 1331. sepeliri voluit. Ex Ioanna, Arturi Britanniae Ducis filia, vnicam reliquit filiam, *Iolam*, Henrico Comiti Barrensi nuptam. Opida ista postmodum per connubia ad familiam Luxeburgicam, ac demum Vindocinensem seu Borboniam sunt deuoluta; excepto Casleto, quod Philippus Bonus, ratione lytri pro Renato Lotharingae Duce ad se retraxit, & Bornhemio, quod hodie possidet Petrus Coloma, Baro Bornhemienfis.

MATHIL

MATHILDIS) domina de Florences, Florenges, seu Florinis,
quod est opidum dicecesis Leodicensis.

IOANNA) domina S. Gobani nupsit Enguerramo domino de
Coucy.

CAPVT LXX XIII.

*Ioanna Constantinopolitana, Flandriae & Hannoniae Comitissa,
monasterium Dominicanorum in vrbe Bruzensi fundat
ac dotat, an. 1233.*

IOANNA, Flandriae & Hannoniae Comitissa, omnibus praesentes litteras inspecturis salutem.

Nouerint vniuersi, quod pro remedio animae domini & mariti nostri carissimi FERDINANDI, felicitis memoriae quondam Flandriae & Hannoniae Comitis, ac pro nostra salute, diligenter & sollicitè laborauimus, vt ad ampliandum cultum Domini, & ad profectum populi, domus Fratrum ordinis Praedicatorum construat in Brugis.

Et ad inchoationem eiusdem domus de pecunia, quam idem dominus Comes in testamento suo assignauit, de consilio & voluntate eiusdem executorum testamenti, trecentas libras dabimus, ac de nostro proprio, Fratribus ibidem mansuris, ad commodum ipsorum, aedificia quaedam construi faciemus.

Rogamusque eosdem venerabiles & carissimos Fratres, quatenus orationibus suis pro ipso domino Comite & pro nobis deuotè ac diligenter orare studeant, tamquam pro fundatoribus sui loci, & in praedicationibus suis ad populum orationes faciant fieri speciales.

Nos ergo erga eosdem Fratres semper esse volumus obligatae specialiter, omnesque homines & fideles nostros affectuosè rogamus, vt saepe dictos Fratres velint diligere, & in suis negotijs ac necessitatibus adiuuare: scientes quod quidquid ipsis facient, reputabimus nobis factum.

Datum Insulae, feria quinta post Epiphaniam, anno Domini 1233.
millesimo ducentesimo tricesimo tertio.

Ccc 2

NOTA,